



Icon hepatis foetus octimestris, quam, impletis vasculis arteriosis, naturali colore expressam

<https://hdl.handle.net/1874/210095>

4.

ICON HEPATIS FOETUS

OCTIMESTRIS, QUAM,
IMPLETIS

VASCULIS ARTERIOSIS,

NATURALI COLORE EXPRESSAM

E D I D I T

J. B L E U L A N D

*Medicus Gaudanus, Societati Literatæ
Rbeno-Trajectinæ Provinciali, & Phy-
sico-Medicæ Haganae adscriptus.*



TRAJECTI AD RHENUM,
APUD B. WILD, & J. ALTHEER.
MDCCLXXXIX.

J. B L E U L A N D,

D E

V A S I S A R T E R I O S I S

P E R S U P E R F I C I E M

H E P A T I S F O E T U S

OCTIMESTRIS DECURRENTIBUS.

Ex nonnullis amoenitatum Physiologicarum specimenibus, quæ cum orbe erudito communicare decrevi, primum hoc tempore prodeat icon hepatis foetus fere octimestris.

Exhibuit quidem, qui vasa colorato liquore implendi arte olim excellebat, dexterrimus Ruyschius delineationem partis membranæ hepatis dorsum investientis, a viscere hoc detractæ, & in planum ligneum aciculis expansæ, in qua lymphæ ductuum myriades per duplicaturam hujus membranæ decurrunt, & arteriolæ, ex arteria hepatica oriundæ, serpentino ductu reptant, cum ligamento umbilicali pariter liquore coloratis vasis scatente (a); aliamque portionem

(a) Vid. Responſionem in Epistolam anatomicam problematicam de Vasis Perioſtei, Anticnemii ossis tibiæ et patellæ, & de viis bilis ad vesiculam felleam, ad Expertissimum Gerardum Frenzt.

nem ejusdem membranæ, eadem ratione injectis pulchrius vasis ornatam, atque similiter expansam (*a*). Præ aliis, qui huic rei operam dederunt, nominandus omnino videtur BIANCHI, qui in optimo libro, hepatis historiam accuratissimam continente, varias hujus visceris tabulas exhibuit. Neque omittendus immortalis HALLERUS, qui, licet icon hepatis infantis, quam elementis Physiologiæ adjecit, non admodum fuerit elegans, (*b*), tamen præstantissimis iconibus & descriptione notitiam de decursu arteriarum, quæ per viscera abdominalia distribuuntur nobis reliquit, & sic arteriam hepaticam optime quoque descripsit (*c*).

Deerat autem adhuc encheiresis, qua decursus hujus arteriæ satis facile per totam hujus visceris substantiam ostenderetur, ut sic pateret, quod respectu venarum non adeo largum ad interiora hujus visceris habeat decursum.

Vasa naturali Colore implendi artem exercentibus omnino quidem patuit, non adeo magnam quantitatem cerci liquoris accipere posse arteriam hepaticam, quam venam portarum; hæc enim ex venis mesenterii omnibus in tres principales ramos confluit, hi tandem in unum coeunt, qui portas hepatis ingresfus arteriosa iterum ramificatione per internam hepatis structuram sese dispergit, unde fit, quod totum hoc viscus, quod omnium abdominalium longe maximum est
sua

(*a*) Vid. L. C. Thesaurum. Anat. decimum.

(*b*) Vid. Elem. Physiol. Tom. 6. Tab. 3.

(*c*) Vid. fascicul. Arteriarum tertium.

sua mole, in naturali statu instar venosi sanguinis ruberrimo colore turget: dum arteria hepatica secretionis officium, quod in aliis partibus arteriis ipsis omnino mandatum est, venæ huic tradit, & ejus munus tantummodo in nutriendis membranis, aliisque subtilioribus hepatis substantiæ partibus consistere videtur.

Si jam diversa hepatis vasorum genera, diversis coloribus distincta, caute in lucem proferre conamur, necesse est, ut maceratio accedat, sine qua non facile a se invicem discernuntur, cum præterea per macerationem subtilissima vascula citius destruantur, & sic eo tempore, quo cetera a sordibus purgari debent nequaquam possint in conspectum duci.

Hanc itaque mihi encheiresin selegi, qua purgato prius ab omni venoso sanguine hepate, accurata repletione arteriosa vascula sola in conspectum proferrentur, non solum in aliqua membranæ ejus parte, sed per omnem visceris ambitum decurrentia.

Primo hoc tentavi in hepate ex adulti hominis cadavere defumto, & licet satis fauste procederet experimentum, binæ tamen in hac operatione manserunt difficultates. Prima erat, quod difficulter vel nequaquam omnis sanguis venosus tam pure potuerit elui, ut impletæ arteriolæ minores satis clare distingui possent, nam licet triduum, & ultra lavando impendissem, remansit color alte carneus, a quo color immixti liquoris non facile poterat discerni: deinde difficile quoque erat viscus tantæ molis in liquore spirituofo servare, ejusque accuratam delineationem tabulis exhibere.

Erat autem eo tempore ad manus cadaver foetus abortivi, quem octavo graviditatis mense mortuum enixa erat mater, cujus hepar itaque in hanc finem selegi, quod postquam calida aqua ab omni venoso sanguine purgaveram, rubram materiem in arteriæ hepaticæ ramulum ita immisi, ut felicissime per tenuissimos furculos dispergeretur, & membrana extima hujus visceris æque a concava, ac a convexa parte, & in ligamentis pulcherrime ramificationes suas arteriosas monstraret.

Est hæc membrana non nisi continuatio peritonei, ejusdem plane naturæ satis firmæ, glabra undique, ab exteriori parte rorem continuo ex subtilissimis suis arteriis effundens, unde madidum semper hepar, qui ros, iterum a venis lymphaticis, magno quoque numero per hanc membranam reptantibus absorbetur; ab interiori parte per ejusdem naturæ vascula, cellulosa tela circumvoluta, internæ hepatis substantiæ adfixa est, in hanc cellulosa arteriæ roriferæ itidem humorem tenuissimum effundunt post brevem stagnationem a venis lymphaticis quoque absorbendam, per quam etiam glandulæ minores in statu naturali sunt distributæ, harum natura antea quidem in dubium vocata est, sed re vera mihi in male adfecto cadavere apparuerunt, induratas enim et mole ita auctas in adulti hepate vidi, ut singulæ nucis juglandis magnitudinem haberent, & pondus totius hepatis septem libras superaret, dum ceterum nulla abcessus aut alterius vitii essent signa; sed in sano corpore, nisi expresso quærantur, difficulter & vix sese manifestant, & in juniore hoc subjecto plane nullæ conspiciuntur.

Ar-

Arteriæ oriuntur ex variis arteriarum ramis, qui a præcipuo eorum decursu ad alia viscera nomen ab iis accipiunt: accipit enim hepar trunculos a cœliaca, quos egregie exhibuit HALLERUS (*a*), a diaphragmatica (*b*), a duodenali cœliacæ ramo, a lienali, a pancreatica, omnibusque fere circumjacentibus, quarum anastomoses a variis auctoribus quidem describuntur, sed nisi ipsi aut cadavera, aut accuratissimas eorum icones intueamur, vix, uti decet, possunt intelligi, qua in re nullas nominare licet præ illis, quas in citatis jam iconum arteriarum fasciculo tertio sexto & octavo immortalis HALLERUS exhibuit.

Postquam ex rete illo anastomosium ad hepar accesserunt arteriæ, per ligamenta ejus primum sese dispergunt in subtiliores ramos, decrescentes volumine pro ut propius accedunt, donec minimi facti, instar arbusculorum, per superficiem hepatis angulis plerisque acutis, paucis rectis, sensim oculi aciem fugientes, evanescent; quæ ratio, quod ex elegantissimo specimine non omnes potuerunt delineari.

Ex hoc autem specimine minime patet, arteriolas minores ubique comites habere venas, ut in intestinorum membranis (*c*), sed solæ per totam superficiem apparent, neque Ruyschius venas exhibuit in suis iconibus, neque aliquam earum injecit mentionem (*d*); unde vero simillimum est, superfluum ab
ex-

(*a*) Vid. fascicul. arteriarum tertium.


(*b*) Vid. L. c. tab. cœliac. primam.



(*c*) Vid. B. S. ALBINUM dissert. de arteriis & venis intestinorum.

(*d*) Vid. L. C. Tab. cit.

exhalatione atque nutritione hujus membranæ sanguinem venis relinqui, quæ per intimam hepatis substantiam sunt dispersæ, & dein incrementa capientes in venam cavam sese exonerant.

Plura his addere possem, sed hæc sufficiant; consulantur porro, qui in explicanda hujus visceris intima fabrica atque functione desudarunt, Viri Clarissimi RUYSCHIUS, BIANCHI, HALLERUS, alique.





EXPLICATIO ICONUM.

Figura superior monstrat hepatis concavam partem, in qua, præter diversos lobos, notantur in superiore parte ligamentum suspensorium, in inferiore ad sinistram intuentis manum vena umbilicalis, in medio vesica fellea cum ductibus atque particula discissæ venæ, dum ramuli arteriarum, per superficiem decurrentium, majores apparent, quam in convexa parte.

Figura inferior convexam partem ostendit, in superiore atque media ligamenta suspensorium, atque latum exhibentur; in inferiore venæ umbilicalis, dum arteriolæ minores in membrana hepatis apparent, quam insuperiore icone, ita ut propter numerum atque tenuitatem vix ad normam speciminis potuerint delineari.